

Q D.

MELCHIS  
AB INJ  
PETRI J  
DEFER

SU  
AUSPI

SERENISSIMI PRIN  
DN. FRIDERI  
PRINC. REGII ET ELECT  
RECTORIS MAGN

ET

PRAES  
JO. CHRISTOPH. WIC

LL. OO. PR  
IPYSIS NONIS FEBRU

IN AUDITOR  
HORIS CO

ERUDITORUM C

M. JO. HERMANN  
RENDESBI

VITEMBERGAE, PRE

D. B. V.

ISEDECUM  
NJURIA  
I JURIAEI  
FENSUM,

SUB  
AUSPICIO  
PRINCIPIS AC DOMINI,  
ERICI AVGVSTI,  
LECTOR. SAXON. HERED. ETC.  
MAGNIFICENTISSIMI,

ET  
PRAESIDIO  
WICHMANNSHAUSEN,  
O. PROF. PUBL.

FEBRUARIIS A. d<sup>o</sup> 10 CC X.

EDITORIO MAJORI

RIS CONSUETIS

RUM CENSURÆ SISTET

ANNUS von ELSWITCH/  
NDESBURGENSIS.

AE, PRELO GERDESIANO.

55.

580

4W53

0



S. I.

Rdutum opus aggredior, de tali acturus argumento, quod eruditissimis quoque tantum facesit negotii, ut nihil supra possit. Perquirēmus non Judæorum tantum, sed & Christianorum monumenta a primis inde initiis, & videbimus, quam sollicitos in eo explanando se utriusque præstiterint: qua de causa Hieronymo Epist. CXXVI. ad Evagrium famosissima questionis nomine venit; addo ego, nec id immerito, obscurissima, de qua non insulſe quis tritum illud Judæorum usurpet: Reponatur donec venerit Elias.

S. II. Præstaret quidem a sollicita nimis personæ hujus & indagatione & definitione abstinere, inque ea, quam Spiritus S. dedit, narratione acquiescere, quum is, rem accuratius, definitiusque cognosci, consulto noluerit. Nescire enim, quæ magister optimus sciri noluit, docta ignorantia est. Quin inio, quod gravissime judicat Seb. Schmidius Comm. ad Hebr. VII. i. p. 689. nocet potius, si quidem certi quid definiatur. Paulus namque hoc ipsum in usum suum convertit, quod incognita alias sit persona, nec noti parentes ejus. Verum homines, ut sunt a natura intempestive curiosi, non omiserunt & hic sua

exercere ingenia, dumque alter altero videri voluit ingeniorum, opinionum sententiarumque enata sunt divortia.

§. III. Possunt hæc ad duas redigi classes, quandoquidem alii Melchisedecum creaturis annumerant, alii vero earum numero eximunt. Ut a postremis ordiamur, fuere in veteri Ecclesia, qui μεγάλην τινα δύναμιν eum fuisse existimarent. Hi nominati sunt *Melchisedeciani*, eo quod Melchisedeco, aris exstructis, vota facerent, cumque, tanquam virtutem altissimi, religiose colerent. Proscripsit hunc errorem *Epiphanius*, *Hæres. LV.* nec non *Augustinus Hær. XXXIV. ad Quodvultdeum.* Abeunt ab his, qui eundem pro ipso *Filio DEI* habent. Inter Judæos *R. Moses Hadar san* Messiam eum esse asseruit, quod testantur hæc ejus verba ab *Heinso in Exercit. S. pag. 546. cit.* וְמִי הָוֶה זֶרְקָן חַנוֹשׁ עַמְּלֵךְ הַמָּשִׁיחַ Et quis hic? *Hic est Rex justus & Salvator, Rex Messias.* Maxime tamen inter Christianos pro ea sententia dimicatum est. *Epiphanius* quorundam meminit *Hær. LV.* qui docuerunt, Melchisedecum Φύσει τὸν υἱὸν τῷ Θεῷ εὐ-ἰδέα σὺνθεώπει τῷ Αβραὰμ πεΦηνεναι: nec ex Patribus alienus ab eadem fuit *Ambrosius L. I. de Abrab. c. III.* Recentiori ætate eidem adstipulati sunt *Molineus in Vate*, nec non *P. Cuneus L. III. de Rep. Jud. c. III.* qui tamen duumviri in eo disident, utrum illud, quo DEI filius tum usus censeatur, corpus veri hominis fuerit, obsessa tantisper ejus phantasia? an umbra corporis ac simulacrum, ad illum vultum habitumque, quem redditurus olim in Judæorum terris erat, effictum. Neuter obtinuit aliorum assensum, nisi quod *Cunæi assertum J. Gaillardus*, integro libro *Lugd. Bat. 1686. in 8. ed. cui tit. Melchisedecus Christus unus Rex Justitiae, Rex Pacis*, eam propugnare, & ab aliorum vindicare objectionibus magno conatus sit studio. Evidem *Henr. Hulsius de Melchised. c. I. p. 3.* existimat, non deesse illis argumenta, que ambiguum diu & ancipitem animum tenere queant; & recitatis eorum argumentis, *ingenue*, inquit, fateor hac talia

ac tanta esse, ut in merum Regem, tunc temporis viventem,  
*Cananeum non quadrant*: scilicet ut viam præmuniat suæ sententiæ. Sed longe alia fuit mens *Nortoni Knatchbull*, qui in *Animadu. ad Hebr. VII*, i. p. m. 136. de eodem cum *Beza* pronunciat: *Eos esse aperte fanaticos, qui id tucantur.* Hinc magno numero calamos contra *Cuneum* strinxerunt viri eruditissimi. Primus eundem, adhuc in vivis degentem, notavit ejus collega *Andr. Rivetus Comm. in Gen. ad b. l. ad cuius rationes, quantum ego scio, nihil a *Cuneo* regestum est.* Hunc insecuri sunt multi alii, post quos VI. quoque rationibus eum oppugnavit *Samuel Szattmar Nemethi S. S. Theol. in Colleg. Reform. Claudiopolitano Professor*, in *Ep. ad Hebr. VII*, i. p. m. 250. ss. (ed. Franeq. 1702.) Recentissime cum *Carolo Frassenio* in *Disquisit. Bibl.* (ed. Paris. 1705. 4.) ad b. l. p. 218. s. & *Braunio* ad *Hebr. VII*, 3. p. 372, sed omnium prolixissime, idem præstigit *Melchior Leydeckerus de Rep. Ebr. L. II. c. II. p. 50-65.* Nec Lutheranos inter defuerunt, quibus atro notare carbone hanc sententiam placeret. *Hackspanio* certe in *Not. Pbil. ad b. l. pag. 172.* absurdā dicitur. *G. autem Calixtus*, dum errorem confutare aggreditur, non minorem committit, quando ad *Gen. XIV*, 18. p. m. 118. ita sermocinatur: *Sed quam periculose omnes iste sine sententie, quibus asseritur, Filium DEI ante suam incarnationem corpore apparuisse, praterquam quod ab Arianiis profecte sunt, alibi a nobis docetur.* Quorsum enim hæc tendant nemini esse ignotum potest, nisi cui hypotheses Calixtinæ minus perspectæ sunt, quas tamen summi Theologi, *Calovius*, *Hulsemannus*, *Wellerus*, alii, jam dudum protriverunt. Sed ad *Cuneum* redeo, quem parum sibi *Socinianos* quoque hac sua hypothesi conciliasse, illud *Martini Ruari*, *Holsati*, *judicium Cent. I. Ep. p. 41.* abunde testatur, qui: *Cuneus, scribit, ex Epistola ad Hebreos probare conatur, Melchisedechum ipsum fuisse Christum: in quo sane mirifice sibi placet, cum nihil in toto libro frigidius & ineptius mibi videatur.* Scilicet hinc illæ lachry-

1999.

mæ, quoniam dum ita Cunæus Περὶ τοῦ εἰδώλου Filii DEI ante Mariam statuminat, Socinianorum causam insimul jugulat.

¶. IV. Qui creaturam fatentur Melchisedecum, referunt eundem vel inter Angelos, vel inter homines. Prius statuit *Origenes*, & cum eo *Didymus*, quos notavit *Hieronymus Epist. ad Eusebium*, nec alios sibi assentientes habuere. Posteriorum cum memorabili quodam discrimine asseritur. Sunt enim, qui quidem hominem eum fuisse concedunt; sed longe diversum ab aliis. *Anonymus* quidam hominem eum dixit perfecte justum & sanctum, quippe immediate a DEO creatum: instar Adami, adeoque Christo in eo quod expers esset patris & matris, αὐτὸν μολυβεῖον, quem castigarunt *Cloppenburgius Disp. de Melch.* §. 9. & *Carolus Dematius. ISAACUS PETREIUS*, citante *Petavio Theol. Dogm. T. III. L. I. c. VI. §. 3.* Melchisedecum facit hominem cœlestem, ante Adam ipsum, imo ante lucem, conditum, cui quum assimilatus Filius DEI sit, hunc quoque ante terram & lucem cum aliis, quos fingit hominibus cœlestibus conditum esse, suspicatur. Sed recte *Hulsius l. c. p. 337.* *stultam* eam vocat sententiam, *qua ipsa iniuritate sua cadat.* Qui vero hominem eum credunt nobis εμόσοιον, licet insigni præ aliis pietate conspicuum, non una iterum ducuntur opinione. Alii enim ex tribus Noachi filiis unum, alii ex horum posteris eum fuisse dicunt. Inter Noachi filios eminet *Semus*, cui magnifica illa, quæ de Melchisedeco referuntur, elogia ita competere existimant, ut nemini jure meliori. Hunc igitur esse Melchisedecum, *Judei* ferme ad unum omnes sibi persvâsum habent. Testis est *Abraham Zabut* in libro *Zuchasin* sive *genealogiarum*, inquiens: וְאַמְרוּ זֶה כִּי־הוּא מֶלֶךְ־צִדְקָה וּבְנֵה יְרוּשָׁלָם xerunt, Semum esse Melchisedecum, וְאַדִּিসְכָּסְסְּ יְרֻשָּׁלָם. Et ne argumentum huic opinioni probandæ deesset, *Kabbalistæ in Baal Hatturim* ex vocibus רַתְתָּה שְׁלָמָם per nomen שְׁמָם exsculpunt. Ex *Christianis* idem sentiunt *Hieronymus*, *B. Lutherus*,

*tberus, Rungius & alii, quod Henr. Moliero Prel. in Psalm. CX.  
p. m. 344. verisimile, & Augusto Varenio in Decad. Mosiac. Dec. VI.  
Loc. IX. p. m. 458. maxime probabile audit; nec alienus ab eo est  
J. Selenus in Diff. de Decimis, quam J. Clericus, ex Anglica ver-  
sam, suo in Pentateuchum Comment. adjecit. Verum hæc, licet  
communis & universalis ferme sit opinio, aliis minime proba-  
ta est. Simon Patrick in his Commentary up on the first Boock  
Moses. ad b. l. eam procul dubio Judæorum superbiam & va-  
nitatem pro fundamento habere asserit, quum Judæi, ut ipse,  
& iam ante eum Bochartus in Pbal. P. I. Lib. II. cap. I. p. m. 77.  
animadvertisunt, ægre tulisse videantur, Abrahamo, gentis suæ  
conditori, alienigenam, & quidem ex maledicta Cananæorum  
gente præferri, qui & ei benedicat, & ab eo decimas exigat,  
tanquam Sacerdos ordinis eminentioris. Hinc quoque Psal.  
CX. de Abrahamo interpretantur, cuius com. 4. R. Eliezer ita  
interpolat: *Dixit Dominus Domino meo, i. e. Abrahamo, idque in  
benedictione Abrahamo facta, sede ad dextram. Tu eris Sa-  
cerdos in seculum, secundum רברת i. e. verbum ac promisio-  
nem Melchisedeck.* Nec dubium, quin ea ipsa sententia ex  
decimatione Levi in lumbis Abrahami, quam urget Simon Pa-  
tricius, ut alia argumenta a Bocharto l. c. adducta taceam, con-  
futari queat. Levi enim, qui in lumbis Abrahami exstigit,  
exstigit quoque in lumbis Semi, tanquam proavi, & sic ipse de-  
cimas tum dedisset, in lumbis nempe Abrahami, tum rece-  
pisset, in lumbis Semi, quod sane, ne dicam parum congruum,  
ita comparatum est, ut totam argumentationem Apostoli in-  
fringat, qui ex hac decimatione cum discrimen Sacerdotii, Aa-  
ronitici & Melchisedeciani, tum etiam ejus præ Abrahamo  
excellentiam inferre voluit.*

§. V. Alii igitur non quidem ipsum Semum fuisse Mel-  
chisedecum contendunt, ex Semi tamen posteritate eum repe-  
tunt. Arabes eum pro filio Peleg venditant, de quibus Hot-  
tinger. in Smegm. Orient. p. 256. Claudius Frassenius l. c. pag. 221.

OCT.  
Semi nepotem non ex Arphaxad, ut Judæi, sed ex alio filio affirmat. Ante paucos annos M D C C VI. edidit *Historiam Criticam Melchisedechi Ludovicus Borgius*, qua statuit, eundem, nisi fuerit Semus ipse, probabiliter tamen ex ejus posteris fuisse, qui in Chaldæa habitarunt. Hunc vero ait patriam suam, ob civium idolatriam, reliquisse, & in Canaan fuisse profectum, ubi urbem Salem & templum ædificari, & officio regis pariter, & sacerdotis, defunctus fuerit. Sed ea sententia iisdem premitur difficultatibus, quibus prior patebat. Nec video, cur ob idolatriam reliquerit patriam, & in istiusmodi regionem se contulerit, ubi eadem, si non in majori, profecto pari gradu exercebatur. Num credibile est, omnes ejus cives, Semitas intelligo, adeo a vero DEI cultu descivisse, ut nulli amplius exstarent, quibus associare se potuerit? Cur non ad Semum profectus est, qui sine dubio veram religionem retinuit, & si Chronologis fides habenda, eo tempore adhuc in vivis fuit?

S. VI. Alii hos, vel alios, evitaturi scopulos, genus eum ad *Japhetum* referre suspicantur. Vid. *Owen. Comm. ad Hebr. VII. pag. 93.* forsan quia persuadere sibi nequeunt, virum tam eximiae pietatis in maledicta Canaanis gente extitisse. Sed, his tamen non obstantibus, non desunt, qui *Canaeum* eundem fuisse prætendant. Stant pro ea sententia *Menochius ad b. l. p. 9. Simon Patricius l. c. 3. Clericus ad b. l. p. 112. Jo. Braunius ad Hebr. VII. Spanheimius in Hist. Eccl. V. T. Opp. p. 306. & David Martin in Bibliis Gallicis ad Gen. XIV. 18.* (1707. Amstel. in fol. edit.) quibus addi ex nostris potest *Hunnius in Epist. ad Hebr. p. 139.* nec non *G. Calixtus l. c. p. 123.* Nec deest illis, si ea pugnandum, auctoritas veterum, tum Judæorum, tum Christianorum. Ex illis enim, præter *Pbilonem*, Χαβαδίων *duvāṣṇ* eum appellavit *Josephus*, vir antiquitatum suæ gentis peritisimus *L. VII. de B. J. c. XLIX.* ut vel hinc colligatur, sententiam de Semo non fuisse quondam a Judæis antiquioribus com-

communiter receptam atque creditam. Ex his vero *Theodoretus Quest. LXIV.* in *Gen.* εἰκός, inquit, δ' αὐτὸν ἐκ τῶν ἐθνῶν ἐκείνων εἶναι τὸν παλαιόννον οἰκύντων. Εἴκειναν γάρ καὶ βασιλεὺς ή, ιερεὺς ἐτύγχανεν αὐτόν. Nec negandum, hanc sententiam ab iis immunem esse objectionibus, quae contra alias moventur, ad eoque reliquis probabiliorem. Dico probabiliorem, quoniam nihil hic oppositi formidinem effugit, quicquid eligatur aut statuatur, faciliusque omnia destruuntur, quam ut certi indubitatique aliquid asseri possit. Ratio, quam in contrarium alii, & cum iis *Lud. Borgius*, urgent, nihil evincit. Nam (*a*) notitia DEI vera non omnis extincta fuit in quibusdam in illa gente, ut *Spanheimus l. c.* demonstrat exemplo Regis Abimelechi, cuius mentio fit in Historia Abrahami. Eam in rem VII. argumenta adduxit *Petrus Jurieu*s *Histoire Critique P. I. c. IX. p. 65.* quae licet non omnia bene stringant, quædam tamen fundamento destituta haud sunt. (*B*) Maledictio illa neutiquam se ad omnia extendit individua, quasi nempe, vi illius, Cananæi ad unum omnes æternæ damnationi fuissent expositi. Nam quis neget multos se successu temporis veræ Ecclesiæ adjunxisse? In N. T. sistitur nobis mulier Cananæa, quam Profelytam fuisse pronunciat *J. Crojus Obseru. S. c. XXXI. p. 235.* quod licet asserere nolim, cernimus tamen eandem ad Salvatoris pedes projectam, & summo fidei elogio decoratam. Tandem, quemadmodum omnes Judæi & Semitæ, ob promissionem & benedictionem Abrahamo & Semo factam, non dici possunt salvati, ita nec omnes Cananæi ob maledictionem Canaanis damnati.

*§. VII. Quod vero hi de quodam ex progenie Chami adfirmant, id omne rectius ipsimēt CHAMO tribuendum, Petrus Jurieu*s, quamvis hactenus solus, existimat. Edidit is A. MDCCIV. Amstelod. in 4. *Histoire Critique des dogmes & des cultes bons & mauvais, qui ont été dans l'Eglise depuis Adam jusqu'à Jésus Christ*, librum (nam in hoste quoque virtus

virtus laudanda,) multa eruditione refertum, sed in quo sunt  
mala mixta bonis. In ejus P. I. tria capita IX. X. XI. huic ma-  
teria impedit, proponitque, confirmat, vindicat suam senten-  
tiā, eo abeunte, ut Melchisedecum non alium, quam CHA-  
MUM fuisse asseveret. Paradoxon ne quis id putaret, quod il-  
lius nomen ob singularem pietatem maxime laudabile, hujus,  
ob maledictionem, detestabile extitit, omnes intendit nervos,  
ut delictum Chami imminuat & extenuet. Tantum, bone  
DEUS! paradoxa quedam hypothesis, quam ex solo innovandi  
pruritu defendendam suscepimus, potest svadere malorum, ut  
peccata, quæ gravissima puniuntur maledictione, mitigare,  
quam missam eam facere malimus. Ipse *Juricus*, ut vates,  
prædictit c. X. p. 72. *Je say bien, que c'est une pensée, contre la-*  
*quelle tout le monde se reblera, & qui passera pour la plus*  
*grande temerite, dont un écrivain puisse être capable, parceque*  
*le nom de Cham est de mauvaise odeur dans l'Eglise, & que per-*  
*sonne ne le jugera digne de porter ce grand caractère du plus*  
*excellent des types, qui ont figure le Seigneur Jesus Christ.* Nec  
immerito: quia vñ illis dicitur, qui malum bonum, & vice  
versa, pronunciant *Ez. V, 20.* Imo ipse, forsitan, conscientia re-  
clamante motus, ita mentem exponit. *Je n'ay nullement des-*  
*sein d'étonner le public par des paradoxes. C'est pourquoi des*  
*l'entrée je declare, que je n'avance ceci que comme une conje-*  
*cture, que je seray toujours prêt d'abandonner au premier & au*  
*moindre scandale qu'on en prendra.* Sed nonne præstaret  
prius omittere, ne opus esset posteriore? Quis domum, ad-  
mota face, in flamas mittit, ut habeat, quod extinguat? Cer-  
te ideo *Juricus* majori se obnoxium reddit criminis, quoniam  
ipsem suam hypothesisin pro mera conjectura venditat, & ta-  
men, ob meram nihilominus conjecturam /pessimio optimi/  
Patris irrigatori, ejusque delicto, patrocinatur.

§. IIX. Postremus, qui vires in hoc argumento pericli-  
tatus, est *Henricus Hulsius*, in *Academia Duisburgensi Professor.*  
Editus

Editus ab eodem est A. M D C C V I. Lügd. Bat. in 8. *Melchisedecus una cum Parente ex tenebris, cum Scriptura S., tum fabulosa gentilis, emergens & caput protollens.* Quis non ex sesquipedalibus, quæ titulus jactat, verbis, rem omnem ab eo ad liquidum perductam esse arbitretur? Verum, quantum ego judicare possum, *Hulsius*, dum e tenebris Scripturæ S. & fabularum eruere Melchisedecum tentat, intellectum prodit tenebris completem, & argumentum, quod dilucidandum sumit, majoribus, quam antea quisquam, tenebris involuit. Omnis enim ejus conatus eo tendit, ut probet, Melchisedecum neminem alium fuisse, quam HENOC HUM, quem DEUS post translationem iterum in terras voluerit reducem; ut munus regium & Sacerdotale illis in locis obiret.

**S. IX.** Haec sunt potiores de Melchisedeco sententiae. Quum vero animus sit, recentiorum tantum hypotheses sub examen revocare; ille, cum quo hac vice congregiamur, Petrus erit *Jurieus*, quem ego, ex instituto, dataque opera, a quopiam confutatum jam esse, quod ingenue profiteor, non memini. Paucissimis ejus de CHAMO hypothesis tetigit J. Braunius in Epist. ad Hebr. p. 372. & David Martin l. c. sed neuter Juriæ vel meminit, vel, quæ ad rei probationem adfert, examinavit. Quare cum primus fuero, veniam labenti B. L. concedet.

**S. X.** Quæritur igitur de Melchisedeco: *an fuerit CHAMUS?* Juriæus adfirmat; nos negamus. Negandi rationes (I.) præbet ipsum S. *Scriptura silentium.* Nec enim *Jurieus* in tota sua argumentatione ullum produxit Scripturæ apicem, ex quo vel *narratō pntov*, vel *narratō diabolov*, suam sententiam probaret, sed ad meras conjecturas, & ingenii lusus, se recipit, ut infra patet. Omne vero quod, e Scriptura dijudicandum, ejus destituitur auctoritate, id somnium, figmentumque, pronunciamus, & faciliore rejicimus opera, quam qua excogitatum a suis auctoribus est. Meminit quidem Scriptura tribus diversis

in locis Melchisedeci, sed nuspiam vel levissimum deprehendes indicium, ex quo colligi possit, Chamum olim sub hac persona delitusse. (II.) *Differunt ambo nominibus*, adeoque una eademque persona esse non possunt. Nam cum nomina eum in finem imponantur, ut per eadem diversæ res, diversaque individua, a se invicem discernantur, legitima erit sequela, quando a discrepante ὀνομασίᾳ ad diversas argumentamur personas, nisi indubitatis evincatur documentis, unam eandemque personam esse πολυώνυμον. Probandum igitur Juria est, Chamum, præter hoc, alio quoque gavisum esse nomine: quod tamen ad Græcas demum, ut ajunt, Kalendas factum iri puto. Videlur quidem r. XI. p. 80. eo inclinare ut statuat, ab ipso D E O Chami nomen fuisse mutatum, quando: *Qui fait; inquit, si Dieu après la repentance de Cham ne lui pas changea son nom en celui de Melchisedec, parce que le premier devoit devenir infame dans l'Eglise, & que le second devoit être en une éternelle bénédiction.* Verum quo id indicio probabit? confidere quidem ex Chami poenitentia laborat, sed ea æque dubia est. Cur Moses, qui tamen toties Chami mentionem facit, ne verbo quidem hujus mutationis meininit? Qui fit, ut hanc taceat, qui tam sollicite & accurate mutationem nominum Abrahami, Saræ, & Jacobi, consignavit?

§. XI. Ex eo (III.) refellitur hæc sententia, quoniam ea, quæ de Melchisedeco dicuntur, in CHAMUM minime conveniunt. Dicitur iste (*a*) *Rex Salem*. Non disputabimus multum, qualis ea urbs fuerit. Veteres Hierosolymas fuisse crediderunt, quibus ex recentioribus adstipulati fuere *Michael Waltherus* in *Offic. Bibl. Repof. Post. Arc. I. §. 704. p. 761.* qui ad consensum omnium Lutheranorum provocat; *Menochius*, *Car. Singtonius* de *Rep. Ebr. L. I. c. VI. p. m. 105.* nec non *J. Braunius* L.c. p. 364. qui simul monet, Salem non sumi debere pro sola civitate Jerusalem, sed pro tota regione a Jebusæis occupata. Hinc existimat Melchisedecum Jebusæorum fuisse regem, & tan-

tantum dici Regerem Salem, quod princeps illa civitas fuerit totius regni: sicut integrum regna nomen habere solent a civitate domina, ut imperium Romanum a Roma, Babylonicum a Babylone. Sed id aliis minime probabile videtur, qui proin aliam urbem, & forsan Salim, ubi Johannes baptizavit *Joh. III. v. 23.* fuisse autem, ut *Lud. Capellus in Not. ad b. l. p. 599. Joh. Clericus, Simon Patrick*, cui prior sententia *insignis error* vocatur; *David Martin*, nec non *Cl. Frasseniis l.c. p. 223.* qui omnes præter rationes ex *Geographia* desumptas, ad auctoritatem *Hieronymi. Ep. CXXVI. ad Evarag.* quoque provocant. Ut cunque rem existimaverit quisquam, certum est, esse nomen urbi proprium, quod temere *Cuneus* negat, & urbi quidem in terra Canaan sitæ: ut adeo Melchisedecus, tanquam Rex illius urbis, & circumiacentis regionis, in terra Canaan degisse, subditisque suis imperitasse, censendus sit. Unde autem fidem faciet *Jurianus* Chamum vel vixisse, vel regia unquam dignitate in terra Canaan usum fuisse? Quod si omnino ita existimandum putat, venit in mentem mirari, qui factum sit, ut tenuem tantum Cananæa portiunculam, quæ Melchisedeco tribuit, teneret princeps & autor gentis, non omni terræ imperaret. Sed nec in Cananæa unquam Chamus sedem fixit, verum in Ægypto regnum constituit. Testatur id ipsa Sacra S., quando non una vice Ægyptum חם וָנָן *terram Cham* nominat *Pf. CV. v. 23. 27. CVI. 22. & Psal. LXXXVIII. v. 52.* dicit, DEUM percussisse omnem primogenitum בְּאַחֲלֵי־חָם in tentoriis Chami. Nec illud nomen tantum in Sacra S., sed & extra eandem, Ægypto datur. Apud *Plutarchum lib. de Isid. & Osir. c. XV.* Χηνία vocatur. Hieronymus testis est, suo adhuc tempore Ægyptum appellatam fuisse Ham. Verba *Quest. Hebr. in Gen.* sunt: *Ægyptus usque hodie Ægyptorum lingua Ham dicitur.* Et de *Coptitis* adfirmat *Ab. Kircherus in Prodromo Copto*, quod iis adhuc hodie Χῆνη nuncupetur. Quæ vero ratio, quod Ægyptus vocetur terra non tantum, sed & tentorium Chami, reddi alia poterit,

quam quod Chamius ibi vixit, domicilium habuit, & primus regnum: ausplicatus est. Sane non sufficit, denominationis rationem ab ejus posteris Chamitis petuisse. Nam si id valeret, non Agyptus modo, sed & omnes illæ regiones, quas Chamites inhabitarunt, *χαμία*, vel *terra*, & tentorium Chami, nominari possent. At enim vero cum Agyptus præcise, & præter eandem nullæ alia, sive in Scriptura, sive extra eandem, ita appellatur, non video, quæ alia dari possit ratio; quam quidem nos dedimus. Hinc factum est, ut eundem post obitum religiosissime coluerint, & ut DEUM adorarent Agyptii. Nam quis in Jove Ammone non ipsum Chami nomen deprehendit? Solebant quippe Agyptii suos Reges, & illos, qui bene de se meriti erant, Diis adscribere, & cultu divino prosequi. Testatur id *Diodorus Siculus*. *Ἄλλος*, inquiens, δὲ ἐν ταῖς ἐπιγένεσι γένεθλιον, Φασιν, ὑπάρχεντας μὲν θυητὸς, διὰ δὲ σύνεστιν, καὶ ποιητὴν αὐτῷ πάντων εὔεργεσταν, τετυχησότας τῆς ἀθανασίας ὃν εὐίσις καὶ βασιλεῖς γεγονέναι κατὰ τὴν Ἀιγυπτίου. Idem comprobat *Philo Byblus*. Sed Jovem Ammonem successisse in Agypto Saturno, idem *Diodorus* auctor est.

**ס. XII.** Melchisedecus ( $\beta$ ) fuisse dicitur כהן לאל עליון. Quibus verbis, quis non videt, quam magnificum & sacrosanctum ei tribuatur manus? Tantum profecto, ut ipse Filius DEI postmodum iuxta ejus τάξιν factus fuerit Sacerdos. Nec tantum nomen, titulumque Sacerdotis habebat, sed & revera se talem exhibebat: unde non sine emphasi dicitur Sacerdos לאל עליון i. e. *Deo altissimo*. At unde probabit *Jurians*, Chamum functum fuisse officio Sacerdotis, & quidem non idolorum, sed DEI altissimi. Sane Chami, & Chamitarum, nomen nimis infame est in Sacra S., ut quis non immérito dubitet, tam magnifica elogia tribui pessimo Patris illusori, eos inter collocando, qui DEUM odio, non amore, prosequuntur. Id perspicuum erit ex *Exod. XX, 5.* ubi DEUS minatur, se visitaturum iniquitatem Patrum in filius in tertiam, quartamque, gene-

generationem eorum, qui oderunt se. Cum igitur D E U S iniquitatem Chami in ejus posteritate interteriam, quartamque, visitaret generationem, necesse est, ejus iniquitatem non fuisse adeo exigua, ut *Jurius* contendit, sed Chamum etiam eos inter recensendum, qui odio D E U M habuerunt. Quomodo vero inter se conveniunt D E U M odisse, & esse Sacerdotem עָלִילֵנְאַלְיָן? Sunt equidem, qui vocem נָשָׁנָה ad liberos referant, sed illos B. Varenius in *Decad. Mos. ad b. l. p. 295.* ex accentuum proportione, & ex aliis rationibus Summus Theologus, JO. FECHTIUS, Praceptor quondam meus, filiali semper pietate colendus, in *Philocal. S. Thef. Bibl. s. XII. p. 13.* refutarunt. Quem insuper fugit, omnem idolatriam a Chamitis esse profectam? *Egyptus*, Chami domicilium & terra, in omnem superstitionem effusa, perinde ut Phoenice, totum terrarum orbem gentili infecit superstitione. Testatur id *Philo Byblius* apud *Euseb. E. I. de Frap. Evang. c. IX.* cuius loco recitato haec addit *Vossius de Idol. L. I. c. XXII. p. m. 164.* Videmus, ut πολυθεότητα, & ejus cultum, a Phoenicibus & Egyptiis derivet *Philo*: quod facile persuadet. Nam quis non potius de Chami posteris id in animalm inducat suum, quam Semi, aut Zapeti liberis; quorum piezas memoratur a *Mose* &c. Idem cum *Herodoto* & *Strabone* adfirmat *Lucianus de Syria Dea*: Πρῶτοι μὲν, inquiens, αὐθάρπων, τῶν οἵ μέσι ιδευεν, ἀγύπτιοι λέγονται Θεῶντε έννοιη λαβεῖν: quod recte *Huetius in Dem. Evang. Prop. IV. c. VI. p. m. 167.* ita intelligit, profani idolorum cultus, & πολυθεότητα, auctores Egyptios existisse; ab iisque plurimas gentes, Indos in his, eadem dogmata accepisse. Clarius haec effert Auctor Græcus in *Veteri Orbis Descriptione*, quam *Jac. Gotofredo* debemus, qui c. XVIII. p. 16. de *Egypto* haec commemorat: καὶ χεδὸν ἐκείνη πάσῃ ὄικμένη παρέδωκε τὰς Θεάς σέβεθαι.

*S. XIII.* Denique (*y*) Melchisedecus dicitur ἀπάτωρ, αἰμήτωρ, ἀγνεαλόγητος, μήτε αἰρχὴν ἡμερῶν, μήτε ζωῆς τέλος ἔχων. Non sunt haec verba φυσικῶς accipienda, quasi Parentibus, aut

vitæ initio vel fine, plane caruisset, sed πολιτικῶς, quoniam neque Parentes ejus, neque vitæ initium aut finis unquam in Sacra S. commemorantur. Illustrari id potest non ex antiquitate tantum Judaica, sed & profana. Judæi eum, qui servus erat, vel cuius genus & genealogia ignota erat, ἀπάτος, i. e. tales, qui patrem non haberet, judicabant, de quo conf. *Seldenus de Synedr. L. II. c. XIII.* Pari modo apud *Livium L. IV. c. III.* Servius Tullius *Matre serva, captiva Corniculana, natus, Patre nullo*, dicitur. *Florus Cajum Gracchum hominem appellat sine tribu, sine nomine*: quo pacto etiam *Horatius L. II. Sat. V.* eum, cuius origo haud constat, *sine gente esse* pronunciat. *Heinsius in Exercit. S. L. XVI. c. V. p. 564.* auctor est, ne Græcos quidem aliter nonnunquam loqui, *cum id, non quod non est, sed quod scriptum non est, esse negant.* Απάτως & αμήτως igitur, quod illi ἄγραφοι δὲ εἰντῷ οἱ τοῦντες καὶ τὸ χέντοι dicerent. Quam in rem locum affert *Athenei*, qui ἄγραφος nominat, quarum nulla facta erat mentio. Quæ mire convenient cuni Interpretate, omnium vetustissimo, Syrum intelligo, qui verba Apostoli ita παραφράζει: **לְאַבָּא כִּכְלֵי תְּמִימָה בְּלִי**.

i. e. *cuius neque pater, neque mater, scribuntur in generationibus.* Scilicet aliorum genealogiæ accurate a Mose recensitæ, & solenni illo יְמִינָה obsignatae sunt. At de Melchisedeci, Regis & Sacerdotis Summi, Parentibus, familia, morte denique, altum est silentium. Quis igitur neget, illum *Politice* ἀπάτοπα esse, & αμήτος? *Jo. interim Braunio*, qui in *Epist. ad Hebr. p. 370.* existimat, Melchisedecum forte ex vili fuisse familia, quemadmodum nonnunquam speciali providentia DEI homines abjecti & viles emergunt, quorum genealogia in oblivionem abiuit, suam relinquimus conjecturam, quæ nec nobis, nec aliis, probabilis videtur. Verum accedit & ratio *Ecclesiastica*, quæ in Sacerdotum Judaicorum requisitis fundatur. Sive enim respicias Pontificem Summum, sive reliquos Sacerdotes, nemop

nemo ad id officii admittebatur, nisi esset γενεαλόγητος, adeo ut officio excluderetur, qui in tabulis Sacerdotalibus suam ostendere genealogiam non posset. Vid. *Esr. II. 62. Neb. VII. 64.* Addunt Hebrei, quod, nigra indutus veste, fuerit dimissus, nec reverti ipsi in posterum unquam licuerit. Vid. *Braunius Select. Sacr. L. III. c. I. §. 15. 20.* Confirmatur hoc (*a*) ex eo, quoniam Paulus ad Hebreos scribens, eorumque ritus & sacra ad suum accommodans argumentum, haud dubie vocabulis eo sensu usus est, quo Judæi communiter uti solebant. Cum ergo Hebrei, de Sacerdote γενεαλόγητῳ loquentes, talem intelligent, qui non modo e Parentibus natus sit Sacerdotibus, sed & ex tabulis Sacerdotalibus suam & deducere, & demonstrare, familiam possit, consequitur vi contrariorum, Sacerdotem αὐτοῦ γενεαλόγητον eum esse, qui id præstare nequeat. Inde quoque (*c*) stabilitur, quia Paulus *l. c.* agit de discrimine, quod Sacerdotium Aaronicum inter & Melchisedecianum intercedit, quo liquidius ostendat, Christum esse Sacerdotem, non κατὰ τάξιν Aaronis, sed Melchisedeci. Age videamus nunc, utrum de Chamo ista omnia dici possint an secus. Non ille fuit ἀπάτωρ, αμήτωρ & αγενεαλόγητος sensu *Politico*, quoniam Pater ejus Noachus non unice commemoratur, & genealogia ejus in linea tum ascendentis, tum descendente, late deducitur, vid. *Gen. IX. 6. ff.* Nec fuit sensu *Ecclesiastico*, quoniam immediate prognatus a Noacho erat, qui δικαιοσύνης κύρυξ *2. Petr. II. 5.* dicitur, quique & ante, & post diluvium, Sacerdotis obiisse munia legitur.

*¶. XIV.* Multa quidem contra hanc rationem solent disputari. Nam quando eadem arguitur, Semum non fuisse Melchisedecum; alii respondent, fuisse eum αὐτοῦ γενεαλόγητον non sub nomine Semi, sed Melchisedeci. Ita jam suo tempore Lyranus. Et quia illa ipsa ratione sententia de Chamo quoque infringitur, mirum non est, tam placuisse Juriæo responsum illud, ut in istam ita debacchetur *l. c. p. 69.* *C'est une méchante raison, il est vrai que nous avons la généalogie de Sem sous le nom de*

12.  
de Sem, mais nous ne l' avons pas sous celui de Melchisedec.  
Hinc multa de typis, Christum adumbrantibus, facit verba, quos non semper in re, sed in forma, modoque, quo recitantur, quærendos asserit. Illustrat id ex *Ez. VII, 14.* Virgo, quæ ibi partum editura dicitur, est illi uxor Prophetæ, quæ Mariae Virginis Deiparæ typum sistat. Hunc autem non in re ipsa, sed in modo proponendi latere arbitratur, nimirum in eo, quod gravidam eam, & pueroram, factam referat Spiritus S. prius, quam ejus nuptias & matrimonium commemoret, non quod illud partum non antecesserit, sed ut omissa ejus mentione μυστηρίων τι, & typum subesse, facilius elucesceret. Quanquam nec in eo recte sibi constet *Juriæus*, qui hæc omnia pro mera visione Prophetica & Apologo habet, qualem etiam in Hosea, uxorem fornicatricem ducere iusto, sibi videtur reprehendisse. Verum hæc nihil ad rhombum. Nam demonstrandum Juriæo est (1.) Chamum fuisse binominem: id nisi evictum prius dederit, nihil disputando promovebit. Nonne enim mirum, Chamum vel Semum αγενεαλογίτες vocare sub nomine Melchisedeci, cum nondum constet, an ita unquam dicti fuerint? Nonne ita dubium per æquæ dubium probatur, & vitiosa principii petitio committitur? (2.) Ridiculum est, affirmare, Semum, vel Chamum, & αγενεαλόγοντος, & γενεαλόγυτον esse, priori modo sub Melchisedeci, posteriori sub proprio, & a nativitate in dito nomine. Nam si Cham & Melchisedecus una eademque persona sunt, necesse quoque est, unam eos habere familiam, ut adeo, qui Chami genealogiam recenset, necessario quoque Melchisedeci recenseat, e. g. Jacobus Patriarcha dictus quoque est Israel. Qui igitur genealogiam Jacobi contexuit, contexuit quoque Israëlis, quia hæc duo nomina, licet diversa, unum tantum denominant individuum. Similes mihi ita distinguentes videntur inquisitoribus Romanis, qui Innocentium XI, de Quietismo suspectum, fideli rationem jubebant reddere, non ut Pontificem, verum ut

Ode-

Oedeschalci; quasi vero Innocentius & Oedeschalci non unam constituerent personam, nec proin, qui Oedeschalci sub examen revocat, sub idein quoque Innocentium revocasse censendus sit. (3.) Non equidem negavero, nonnunquam mystici quid latere in rei circumstantiis, hoc, & non alio modo, propositis; concedo quoque, Mosen, non sine causa, Melchisedeci genealogiam, quæ regia procul dubio, & magnifica fuit, prætermisssæ. Sed quid inde? Ergone Chamus, vel Semus, sub nomine Melchisedec est *αγριεύλογντος?* Quæ consecutio? (4.) Pudeat autem Juriæum, illustre illud Jesaiatum oraculum de uxore Prophetæ Jesaiæ, non de Virgine Θεοτόκῳ, secundum literam accepisse, quandoquidem aperte ita Angelo *Matth. I, 23.* contradicit.

§. XV. Si tandem Juriæus aliquid pro Chamo suo confidere velit, indubitato probet necesse est, Chamum adhuc Melchisedeci tempore in vivis existuisse. Sine hoc enim, quod rectissime *ad b. l.* monet *David Martin,* omne id, quod ad stabiliendam hanc sententiam dici potest, solidi nihil affert. Non sufficit hic dixisse, quod potuerit vivere: nam quamvis id demus, quis, quæso, a posse ad esse valide unquam & impresse arguerit? Quid? si DEUS hunc optimi Patris irrigorem ante diem sustulisset, quippe quæ poena liberis, iisdemque immorigeris, debita est? Ipse sane *Juriaus* nobis telum, quo poterit peti, præbet. Dum enim *P. III. c. II. p. 405.* probare fatagit, idolatriam demum post lingvarum confusionem cœpisse, ita inter alia inquit: *Sem, Cham & Japhet, qui avoient vu le deluge, & qui sans doute étoient de grands Saints, vivant au milieu de leurs familles, je ne crois pas qu'ils eussent permis à leurs enfans d' être idololatres.* Cum vero tempore Abrahami idolatria universam propemodum occupasset terram Canaan, concedat, opus est, *Juriaus, Chamum vel jam fuisse mortuum, vel in ea régione non vixisse.* Utrum eligat, perinde est, quia utrumque ejus sententiam infringit.

cor 4.

§. XVI. Hæc sunt argumenta, quibus *Juricium* oppugnari & expugnari posse confidimus: videamus jam, quid ipse pro Chamo adferat. Postquam *cap. IX. p. 62. ss.* de Melchisedeco, ejusque Sacerdotio, pertractare coeperat, fundamentum suæ sententiaz sternere annititur argumentis, quibus comprobaret, tempore Abrahami Cananæos omnes idololatriæ non fuisse deditos. Quo, ut putat, evicto *c. X. p. 67. ss.* amplius demonstrare conatur, non posse aliter, quin Melchisedecus unus ex tribus Noachi filiis, & quidem, quod vero proximum videatur, Chamus fuerit. Prius ex eo conjectat, quod, quum constet, Sacerdotalem dignitatem olim ad omnes quidem filios, potiori tamen jure ad primogenitos, in primis autem, & καὶ ἐξογκινού, ad Patriarchas, tanquam primogenitorum principes, pertinuisse; non videatur latus titulum כהן לאל עלינו quisquam, nisi qui sacerdotii jus non tanquam primogeniturae beneficio, sed etiam, ut Patriarcha, καὶ ἐξογκινού, modoque eminentissimo, usurparet. Quibus præstructis, quum nec Semum, nec Japhetum, Melchisedeci nomine censendum esse, ab aliis jam evictum sit, ultro liquere autumat, soli, qui supereft ex Noachi filiis, Chamo id, extra controversiam, relinquunt. Sed quum Chami nomen parum honorifice, nec cum elogiis, in Scriptura S: commemorari videat, instituit quasi ejus apologiam, & *cap. XI.* agit tum de ejus peccato, tum de dira, quam promeruit, imprecatione. In *Chami peccato* nihil amplius notat, nisi imprudentiam, neglectum honoris Noacho debiti, levitatem juvenilem, &c. si ita velimus, impudentiam. Comparat ea cum maioribus aliorum peccatis e.g. incestu Lothi, adulterio Davidis, ἀσωτίᾳ Samsonis, & idololatria Salomonis; quæ crimina, licet maximo excedant opere delictum Chami, non arguant tamen eos esse damnos, nec prohibeant, quo minus excellentes Christi typi existant. Ut vero delictum Chami magis elevet, multa de peccatis Typicis adfert, eoque argumento exemplis Caini, Esaui, & uxoris Lothi illustrato, peccatum Cha-

mi eorum prōnunciat typum, qui ea satagunt detegere, quæ DEUS voluit abscondita, quique profana sua curiositate ludi-briis quasi exponunt DEI Providentiam & Mysteria, dum in ea penetrare cupiunt, quæ DEUS abscondidit. *Imprecationem* ita extenuat, ut nec ad Canaanem ipsum, nec ad omnem ejus posteritatem pertinere, nec a Noacho, animo vindictæ cupidio, factam esse, sed ita modo evenisse dicat, ut, quam forte in so-mnio, de futura Cananæorum calamitate, habuerat, revelatiō-nem, enunciaret. Hinc occasionem de Typicis agendi male-dictionibus arripit, quas Esau denuo illustrat exemplo, anne-xisque quibusdam conjecturis, ultimum pro sua sententia ar-gumentum ex Sanchoniathone adfert, apud quem frequens est cujusdam *Sidic* vel *Sedes* mentio, qui Pater fuisse dicitur διοτηξεων. Διότηξεωι igitur cum Jovis filii, Jupiter autem Cham fuisse pērhibetur, ultra confici existimat, Sidic Sanchoniatho-nis, Chamumque & Melchisedecum Mōsis, unam extitisse per-sonam. Et hæc est tota argumentorum, quæ *Jurieus* struit, compages.

§. XVII. Judicent nunc eruditii, itane firma sit, ut non habeat, quam ob rem ruinam pertimescat. Id quidem (I.) facile largior, non omnes Cananæos tempore Abrahami fuisse Idololatras: ne-que tamen exinde quicquam subsidii consequetur *Juriens*. Nec enim tuto ex eo quis colligat, Chamum sive pium, sive Melchi-sedecum, fuisse; cum illi, qui ibi fuerunt, pii verum DEI cultum vel ab Abrahamo potuerunt addiscere, vel a Noacho acceptum retinere, quandoquidem liberi, impio prognati parente, non semper ejus insistunt vestigiis, sed, exuta parentis indole, sa-pe-re discunt. Deinde quando (II.) demonstrandum est, Mel-chisedecum omnino aliquem ex tribus Noachi filiis fuisse, con-jecturas captat, nec argumenta, quæ affert, id satis efficiunt. *Primum* erat desumtum a Sacerdotio, quod primogenitis sem-per proprium fuisse autumat. Sed (*a*) nondum satis perora-ta lis est, an Sacerdotium ex jure primogenituræ ad primoge-

nitos pertinuerit? Negant id *Outramus de Sacrif. Lib. I. cap. IV.*  
*p. 42. ff. Jo. Clericus ad Gen. XXV. 31. p. 174.* nec non *Camp. Vi-*  
*tringa Observ. Sacr. L. II. c. II.* cumque id adfirmet Job. *Seldenus*  
*in Diff. de Decimis Sect. I. S. 2. Clericus in Not. ad Selenum* non  
 veretur id vocare *inane commentum Judeorum, quos sive ex-*  
*mine sequuntur sint scriptores Christiani.* Rationibus vero Selle-  
 ni, quamvis haud nominati, *G. Outramus l. c.* satisfacere anni-  
 sus est. Provocant hi omnes ad Cainum & Abelem, quorum  
 non minus hic, quam ille, victimas DEO obtulit. Nobis ita  
 hac de controversia videtur, Sacerdotium *ordinarie quidem, &*  
*communiter, primogenitis olim cessisse.* Certum enim est, ve-  
 tustissimis temporibus, Patres familiæ non curam modo ges-  
 sisse regendæ familiæ, sed sacerdorum quoque administran-  
 dorum, ita ut familiæ præfuerint, eamque cultu divino imbue-  
 rint, & pro ea victimas DEO obtulerint. Probari id potest  
 exemplo pariter Noachi *Genes. VIII, 20. & Jobi c. I, 5.* Secundus  
 autem a Patrefamilias sine dubio erat filius primogenitus.  
 Hinc si Pater familias vel peregre abesset, vel plane mortuus  
 esset, non poterat non in ejus locum succedere primogenitus:  
 qui autem succedit in locum, succedit in jus, & sic non familiæ  
 tantum administratio, sed &, quod eidem annexum erat, Sa-  
 cerdotium, ad primogenitum devolvebatur. Quamdiu igit-  
 tur reliqui fratres in primogeniti hærebant familiæ, eundem,  
 ut suum venerari Sacerdotem, non minus ac Patrem familias,  
 tenebantur: sed quam primum a familia se separabant, & pro-  
 priam sibi instituebant, liberi a primogenito erant, & tanquam  
 capita & patres familias, ipsimet Sacerdotes agebant; pro quo  
 postremo etiam *Jurieus propugnat c. IX. p. 59.* Ex quibus facile  
 ad exemplum Caini & Abelis responderi poterit: ut plane opus  
 haud sit cum aliis, quod & *Godwino* placuit in *Mose & Aar. L. I.*  
*c. VI. p. m. 51.* asserere, eos munus suum ad Adamum tulisse, qui  
 ipsorum nomine DEO illud offerret. Nam hic in judicio  
*Outrami* acquiescimus *l. c. 45.* dicentis; *bi, cur sic judicent, nibil*  
*affe-*

200

afferunt; sed & factis literis haud obscure adversantur. Diximus vero deliberato ordinarie & communiter. Nam quandoque res aliter se habebat. Fieri enim poterat, ut primogenitus vel per facinora suo jure excideret, (quod in Esauo & Rubene factum est) vel DEUS minorem natu præ majore eligeret, vel denique minor natu præ altero emerget, & dignitatem principalem, atque cum ea Sacerdotium, consequetur. Atque ex his, quæ disputavimus (3) colligitur, quam variis modis refutari Juriæus possit. Nam si de jure primogenitura ordinarie nulli loquitur, Melchisedecus non Cham, sed potius Japhet fuerit, oportet, quoniam omni dubio caret, quod is fuerit Noachi primogenitus, Cham vero natu minimus. Unde & Seldenus l.c. Semum, quem pro Noachi primogenito habet, sub Melchisedeci latitasse autumat nomine. Quando vero alii quoque Sacerdotes fieri potuerunt, quod & ipse Juriæus concedit, quomodo firmiter ex eo, quod vult, probabit? nonne ita propria cædit vineta, & totam suam structuram subruit? Denique cum indignum semet aliquis reddere Sacerdotio potuerit: quid prohibet, quo minus idem de Chamo, profano & impio homine, & de cuius poenitentia nihil nobis constat, cogitemus?

§. XLIX. Sed instat Juriæus asserendo, quamvis & reliqui potuerint esse Sacerdotes, primogeniti tamen tales fuisse modo eminentiore, eminentissimo vero omnium Patriarchas, & talem hic intelligendum, voces insinuare Sacerdotis DEI altissimi, utpote quæ de mero Sacerdote primogenito praedicari nequeant. Sed nihil hic solidi iterum deprehenditur. Nam (1.) non video, cur idem titulus aliis Sacerdotibus sit denegandus. Nonne enim omnis, qui sacris veri DEI operatur, operatur quoque sacris DEI altissimi, quoniam DEUS verus, est quoque DEUS altissimus? Sacerdos igitur DEI altissimi non minus infimi sacerdos ordinis est quam summi. Sed (2.) quid, si demus, Melchisedecum

eminentiori modo fuisse Sacerdotem? Num ideo statim fuit Chamus? Nonne suppeditunt aliæ rationes, ob quas excellentiæ quadam ratione Sacerdos dici possit? Fuit ille singulari modo Christi typus: quid igitur mirum, si dignitas ejus Sacerdotalis dignior ceteris & superior habeatur? Fuit insuper Rex, & cum corona regia mithram quoque gesit Sacerdotalem, eaque de causa totius regni sui summus etiam fuit Sacerdos, quippe cuius Sacerdotium Sacerdotio aliorum Patrium familias multo erat eminentius, cum illi Sacerdotes tantum essent particulares, quorum quilibet pro sua modo familia sacra faciebat, hic vero maximus & universalis, qui prototo, quem sibi subjectum habebat, populo sacrificabat. Tandem (3.) ut hæc omnia aliquid evincant, opus est, ut ante probet, Melchisedecum fuisse summum torius regionis Sacerdotem. Nisi enim illud probatum dederit *Jurius*, omnia infirmo stant talo. *Clericus* quidem ad b. l. pag. 112. conjicit, *Sacerdotium ejus publicum fuisse, non privatum, nec cives tantum Salemi, sed & alios accolos, ad eum victimas suas adducere solitos, ut eas eorum nomine DEO altissimo offerret, ut factum postea est Jerosolyma.* Verum merae hæ sunt conjecturæ, ex datis procul dubio ab Abrahamo decimis enatae; cum tamen, ut Historia innuit, Abrahamus se non contulerit ad Melchisedecum, qui, si *Frassenii* standum conjectura in *Disquisit. Bibl. ad b. l. p. 248.* Abrahamo, ut potest recenti inquilino, & in illis regionibus advenæ, ante illum occursum vix innotuerat; sed Melchisedecus Abrahamo, e pugna redeunti, obviam iverit, lassos milites pane vinoque refecerit, eique benedictionem impertiverit. Atque his motus Abrahamus beneficiis, accedente, quod *Braunius* autumat, divino instinctu, decimas de capta præda obtulit. Probabile igitur est, Melchisedecum, quemadmodum Rex Salemi tantum fuit, Sacerdotium quoque non nisi intra regni sui fines, administrasse.

200

§. XIX. Progreditur *Juriæus*, & probandum sibi sumit, Chamum ex tribus Noachi filiis solum fuisse Melhisedecum. Argumentum inde capit, quoniam & Sem, & Japhet, aliis in locis vixerunt, nec probabile existimat, quod suos defuerint, & Chamitas inter commorari maluerint. Sed plurima hic iterum, ut certa, ponuntur, quæ tamen probatione adhuc indigent. Præsupponit, Chamum in terra Canaan vixisse, sed unde probat? contrarium nos supra adstruximus. Conjicit quidem pag. 80. Chamum ideo forsan inter Cananæos fuisse versatum, ut maledictionem, cui obnoxii erant, precibus, sacrificiisque, infringeret, suoque exemplo illos in vero DEI cultu retineret. Verum si conjecturis res conficitur, mihi potius contrarium arridet, Chamum scilicet ideo non profectum esse in terram Canaan, ne simul cum posteris, vi pronunciatæ maledictionis, de cuius dubitare eventu nullus poterat, in servitutem redigeretur. Porro præsupponit, universam illam terram a Cananæis fuisse occupatam; sed & illud incertum. Non dicam de eo, quod post multos alios etiam *Frassenius l. c. pag. 221.* existimat, Palæstinanam in distributione Semo, ejusque liberis, cessisse, quos Cananæi inde expulerint: nam si id certum, nullum est dubium, quin plures e Semitis remanserint, cum veteres coloni ita penitus eradicari & expelli nequeant, ut ne unus quidem supersit. Sed cum hæc pari laborent incertitudine, velim tantum, demonstret mihi aliquis, totam terram, quanta quanta est, a solis Cananæis fuisse occupatam. Quamvis enim nomen ab iis sortita sit, inde tamen nihil probatur, cum denominatio a posterioribus fieri soleat. Quod si Semitæ, vel Japhitæ, ibi habitarunt, nihil obstat, quo minus hos inter & Semus, & Japhetus, degere, & Sacerdotium exercere, potuerint.

§. XX. Ultimum denique pro CHAMO argumentum ex fragmentis desunxit Sanchoniathonis, in quibus aliquis *Sidic* vel *Sedec* memoratur, Pater *Διοκησθων*, quod & P. III.

*erorg.* cap. VI. pag. 444. repetit. Constat jam ante *Juricum* ita opinatum fuisse Grotium. Sed quis ex fabulis certi quid probabit, cui fides sine oppositi formidine habenda sit? Quod ad Sanchoniathonem, non est una omnium de illo, eiusque aetate, sententia; & auctoritas ejus, quae aliis magna, aliis exigua, imo nulla, videtur. Communis sententia est, vixisse eum tempore Gideonis, quoniam alicujus *Hierombali* meminit, qui fuerit Sacerdos DEI Jevo, a quo commentaria accepit, quae, *Huetio* judge, in *Dem. Evang. Prop. IV. cap. II. §. 2. p. m. 84.* nulla alia esse possunt, nisi Mosis libri, quorum doctrina tinctae sunt, & adspersæ superstites Sanchoniathonis reliquæ. At alii tantam ei aetatem denegant. In his ipse *Jurieus P. III. c. V. p. 432.* non credit, tempore eum Gideonis vixisse, vel ad minimum putat, dicendum esse, quod ejus opera ab aliis fuerint interpolata, cum in iis etiam commemorentur ea, quæ longo tempore post Samuelem contigere. Confer. Leydecker. *de Rep. Hebr. Lib. IV. cap. XX. p. 264. s.* Quicquid vero de aetate sit, certissimum est, multa eum admisce-re fabulosa, & a veritate aliena. Facit ille Taauteim, & hunc, de quo loquimur, Sidic ferme συγχρόνες, & utriusque originem a Titanibus repetit. Quod si Taautes ille nemo est aliis, nisi Moses, ut *Huetius*, *Jurieus* & alii volunt, qui vis animadverteret, quam accurate is ex *Hierombali* commentariis suas consignarit Historias, & quam firmiter ejus auctoritate aliquid probetur. Ipse *Jurieus* pag. 444. in alio euni deprehendit errore, dum Diiscuros, Corybantas, Cabiros & Samothracum Deos, pro iisdem habet, & confundit, qui tam multum, ut ipse ostendit, a se differunt.

§. XXI. Hæc sunt quæ pro *CHAMO Jurieus* ad fert, videndum nunc, quomodo scopulos sibi obstantes removeat. Illi sunt Chami *delictum*, & quæ illud infecuta est, *Canaanis maledictio*. Prius valde extenuat, & Chami apolo-giam contra eos, qui illud exaggerant, in se suscipit. De ipso

ipso delicto variae sunt auctorum sententiae. Herm. von der Hardt. Epb. Phil. Disc. II. de violatione tori conjugalis id interpretatur, quasi nempe, cum Pater vino obrutus jaceret, ejus toro vim intulerit, matre, aut noverca, violata; ex quo incestu cum Canaan prognatus esset, hunc Noachus, cum graviorem in Chamum statuere poenam non posset, ab omni cognatione & haereditate prorsus excluserit. Sed quod ~~τριπάτων~~ Philologorum hodiernorum Ψεῦδος esse solet, etiam in hac sententia conspicitur. Proprium nativumque verborum significatum deferunt, & ex improprio, aliis in locis occurrente, sensum inferunt, parum curantes, num συνάθεσα eum ferat, an minus. Videre quidem nuditatem Patris ira aliquando usurpat, quo minus autem id hic significet, contextus refragatur. Nam qui vino obrutus fuit, & nudatus in tentorio jacuit, quemque Sem & Japhet, retrorsum cunctes, pallio humeris imposito, operiunt, ejus nuditatem vident Chamus. Is vero Noachus erat ipse. Denique quomodo haec cum Canaanis maledictione conveniunt? Illi Noachus statim, postquam evigilavit, & Chami impietatem comperit, imprecatus est; sed stante Hardtii sententia in vivis tunc nondum esse potuit. Quod si tamen dubia in re hariolari quid liceat, opinor, delictum illud non constitisse in mero nuditatis aspectu. Nam v. 24. Noachus comperisse dicitur, quod fecerat sibi filius minimus: ex quo etiam colligi poscit, ad visum impurum accessisse quoque impium aliquod factum, quod Clericus in h. l. pag. 72. de risu & petulantibus verbis accipit. Quicquid vero hujus rei sit, delictum omnino fuit gravissimum, quamquam nobis, qua omnes suas circumstantias, non satis perspectum. Id autem inde probamus (l.) quoniam eo ipso gravissime peccavit contra honorem & observantiam, quam liberi, vi juris divini naturalisque, parentibus, a quibus vitam, & alia accepere beneficia, debent. Consideret quis delictum juxta eas, quibus nobis

traditur, circumstantias, & deprehendet, illud cum opprobrio & illusione optimi, piissimique, Patris conjunctum esse. Quid enim opus erat hæc indicare fratribus? nonne Chamus, si mica ei in Patrem reverentia fuisse, ipsem Patris obtexisset nuditatem, ne aliis forte, eum videntibus, scandalo foret? Sed dum propalat, nonne facit indicium animi sceleratissimi, & in patrem nefanda ratione impii ac injurii, quo effici facile posset, ut Noachus, ejusque, quod tunc temporis gerebat, officium in contemptum adduceretur? Num vero hæc sunt levia? aut excusationem merentur? Sane Sem & Japhet Chami impietatem eo ipso videntur detestati, dum animum ad regendam Patris nuditatem applicant, & ne ulla specie fraternali impietatis se reddenter participes, retrorsum accedunt, & Patrem denudatum vestibus cooperiunt. Apparet delicti gravitas (II.) ex subsecuta maledictione. Quis illud delictum non diceret gravissimum, quod tantam commiseruit maledictionem, qua posteri quoque premuntur? Maledictio est malorum imprecatio, quæ cum a Viris, qualis Noachus erat, proficiscitur, effectu suo non destituitur. Quando igitur istiusmodi imprecatio ad posteros quoque pertingit, antegressum delictum detestabile & abominandum fuerit, necesse est, cum viri, tanta sanctitate & pietate eximii, ob rem tantillam non sint censendi hominem quendam, ne dum innocentes ejus posteros, diris devoturi fuisse atrocissimis. Hinc quicquid *Jurieus* pro extenuando delicto adfert, id omnne vergit in despectum Noachi, eumque iræ, absque causa conceptæ, & animi impotentis, vindictæque cupidi, arguit. Denique (III.) pater ex maledictionis haud frustrato in posteris eventu. Evolvamus S. Sacram, & videbimus, illa, quæ in liberis innocentibus visitavit DEus peccata Patrum, fuisse atrocissima. Quæ causa erat, cur Jonathan una cum Saule in prælio periret? cur natus ex Bathseba Davidis filiolus præmatuра morte obiit? cur parvuli & fugentes *Jer. XLIV, 7.* sunt exscin-

exscindendi? nonne ob Parentum idololatriam? cur tot infantes diluvii aquis sunt suffocati? nonne Parentum impietas id effecit? Ergo cum & hic ob Chami delictum innocentes puniti sint posteri, & gravissimas dederint poenas, collectu erit facillimum, non leve, sed grande illud suisse, nisi ipsum met DEUM, has poenas infligentem, nimii rigoris & (absit blasphemia verbo!) in justitia accusare velimus.

§. XXII. Quid *Jurius*? Describit (I.) quale ipse delictum Chami existimet. Non impietatis, sed tantum *impudentiae*, &, si ita velimus (*si l'on veut*) *impudentie* nomen illi tribuit, *bonoris* denique, Patri debiti, *defectum*, & *levitatem juvenilem*, in eo deprehendit. Sed licet haec levia videantur *Jurius*, ob suscepitam hypothesisin praejudiciis laboranti: gravissima tamen judicata sunt in foro poli a judice, quotquot sunt, justissimo, nec ulla προσωποληψία laborante. Mirum vero, quod illud delictum vocavit *juvenile*, nisi id eo fiat sensu, quo Sacra S. puerorum centum annorum meminit. Nam Chamus tunc temporis non procul a centum annis absuit. Patet id ex aetate Noachi. Ille cum inciperet procreare liberos D. erat annorum Gen. V; 32. Cum post diluvium ex arca egredieretur, attigerat annos DCI adeoque de Chami aetate facilis erit conjectura. Num vero, qui jam uxorem duxerat, & filium procreaverat, ex juventute deliquisse dicendus est?

§. XXIII. Comparat (II.) cum peccatis Lothi, Davidis, Simsonis, Salomonis, multo gravioribus, quae tamen non obstatent, quo minus beatis adscriberentur, & inter Christi typos, eosdemque excellentiores, reputarentur. Sed (a) qui comparationem inter peccata instituere satagit, & de eorum gravitate, respectu aliorum, judicare, illi omnes circumstantiae perspectae esse debent. Has vero quum Spiritus S. ut modestiae consuleret, de Chami peccato revelare noluerit, non possumus nos, nisi ex effecto, de ejus gravitate judicare, (B) Quamvis alia peccata graviora sint peccato Chami, non

tamen sequitur, quod & hoc non fuerit atrox & grave: cum dentur peccatorum gradus, & alterum nihil de gravitate aut atrocitate sua amittat, licet aliud gravius sit & atrocius. Quis neget, fornicationem esse peccatum grave & atrox, licet ea adulterium simplex, & hoc compositum sit atrocious & gravius? (y) Non sequitur: Hic qui gravius peccavit, salvus factus est, non obstantibus peccatis, E. salus non deneganda ei, qui mitius peccavit. Nam non queritur hic, quid fieri posse? sed quid fiat? Non negamus, Chamum potuisse salvum fieri, sed, an salvus factus fuerit, merito dubitamus, quoniam de ejus poenitentia ne minima quidem in Scripturis exstant indicia. Quia igitur de salute alicujus hominis non est judicandum ex gravitate & levitate peccatorum, sed ex poenitentia, commissa peccata insequente; mirum haud est, quod soepe quis damnetur, qui mitius peccavit, cum e contra salutem consequatur, qui graviora commisit. Ita e. g. de Petro pronunciavit aliqui, gravius eum lapsum esse ipsomet Iuda. Vid. DD. JO. FECHTII *Philocal. S. p. 74.* Quia vero hic desperabundus fese suspendit, ille poenitentiam egit, prior damnatus, posterior salvatus est. Haec quidem alieni fori sunt: potest tamen ex iis de adductis a *Jurico* exemplis judicari.

§. XXIV. Tandem (III.) pluribus agit de *peccatis Typicis*, inter quæ & delictum Chami referendum sit. Sed quamvis non negemus, occurtere in Sacra S. peccata, quæ suo modo & Typica sunt, & dicuntur; ea tamen ita debent esse comparata, ut eorum antitypi in Sacra S. sint enucleati. Id vero de Chami delicto dici nequit: hinc, quæ *Juriæus* habet, allusionis potius & accommodationis, quam typi nomen, sustinent. Demus vero, fuisse typicum, non tamen exinde quicquam excusationis consequetur. Nam gravitas peccati aestimanda est ex se & sua indole, non vero ex respectu, quem habet ad antitypum, qui in eo adumbratur. Ipse Juriæus fratricidium Caini pro typico habet. Nec tamen ideo excusari vel potest,

2002

est, vel debet; nisi velimus dicere ipsum DEUM peccatum voluisse, ut typus esset alterius, quod in N. T. futurum erat. At impium hoc est, & DEUM peccati auctorem facit, quod gentiles quoque sunt detestati.

§. XXV. De maledictione (I.) inquit, dictam eandem esse non Chamō, aut toti ejus posteritati, sed tantum Canaanī. Verum qui neget *Jurius*, ipsummet quoque Chamum pœnis, Canaanī inflictis, fuisse punitum? Certe ut eo essent majores, in Canaanem pronunciata maledictio est, quo ipso intelligere poterat, eas secum non esse desituras, sed suos etiam posteros pressuras. Quomodo quæsio Chamus puniri magis poterat? Accedit, quod Parentum in liberos amor soleat esse tenerior, quam liberorum in Parentes, ut adeo illi non possint non dolore adfici, cum liberos innocentes sui causa execrationibus, iisque dirissimis, exponi videant. *Plutarchus* ἡ λαπτόσα, inquit, μᾶλλον ἐτέρα κόλασις η τὰς ἐξ οἰνοῦ πακά πάχοντας διάντες ὄραι. Cur vero in specie Canaan ita fuerit maledictus, hanc Hebrai tradunt rationem: vidisse eum primum avum nudatum, eumque irriguisse, ac, re mox ad Chamum delata, primum hujus impietatis auctorem existisse; quam traditionem fide dignam vocat *Calixtus* ad b. l. pag. 105. Rivetus existimat, Canaanem fuisse minimum Chami filiorum; hinc, quoniam Parentes teneriore feruntur amore erga minimos filios, in augmentum poenæ cesisse Chamō, quod minimus ejus filius, ob admissum a se facinus, diris illis petretrur. Sed utraque sententia filium ιωρη cum Judæis a *Mennasseb Ben Israel* in Concil. Qu. XX. p. 28. sqq. citatis de Canaane interpretatur, & quidem sine fundamento, cum idem nemo aliis, nisi Chamus, omnium Noachi filiorum natu minimus, sit. Infringi quoque illa ex Chronologia potest. Probabile enim est, quod & Chronologi agnoscunt, Noachum fuisse inebriatum vel eodem, vel sequente, quo ex arca egressus fuit, anno. Ergo tunc temporis Canaan fuit infans, a matris adhuc pen-

pendens uberibus. Non enim natū  
tantum animæ in arca fuerunt consi  
fuerint ex Gen. VII, 7. patet. Nec na  
ex arca haud plures dicuntur egressi,  
tissime ergo post diluvium demum n  
adhuc infans, rationis usū dēstitutus,  
dere, & rem ad Parentem deferre  
potest, cur Canaan præcise fuerit m  
poris Chamus quidem non nisi unit  
vero ejus iniquitatem visitare in filio

§. XXVI. Instat (II.) Noach  
nem tantum cepisse ea declarandi, q  
futura Canaanorum expulsione revel  
achum a Chami delicto occasionem c  
nihilominus veri nominis imprecatio  
postquam evigilavit Noachus, & Ch  
illud in Canaanem carmen pronuncia  
instar causæ ad subsequentem maledic  
Japhetique benedictione judicium s  
sic dicta benedictio, ita vi oppositoru  
non potest non & realis esse maledic  
tum futuræ calamitatis denunciatio

§. XXVII. Hæc potiora sunt, q  
tera facili notari negotio possunt. C  
p. 79. inquit, *conceptu esse difficile, qu*  
*racula, potuisse esse malus & impius.*  
cula, eumque, cum reliquis Aposto  
erat, & tamen hunc suum & Benefact  
tur prodere. Quanta miracula vid  
riis murmurationibus, mox rebellie  
nistrum Mosen, peccabant:

§. XXIX. Judicet nunc B.L. an no  
nob hypotliesin dubiam, incertam &  
crimen? judicet, an non eo ipso injuri  
faciat, dum talem ei adsingit personali  
de qua ne γρῳ, an ad meliorem unqua

Adversus Juriæum hactenus: qu  
existimem, brevi post

nim natus est ante diluvium, quoniam occurrunt conservatae i. Petr. III, 20. quæ quales, et. Nec natus est tempore diluvii, quoniam egressi, quam ingressi Gen. IIX, 16. Tudem natus creditur. At si ita Canaan fuit destitutus, quomodo avum denudatum irri-  
tum deferre potuit? Sed & exinde ratio reddi-  
cere fuerit maledictus, nempe, quia tunc tem-  
poni nisi unius Canaanis Pater existit, DEUS  
tare in filio voluit.

I.) Noachum noluisse maledicere, sed occasio-  
larandi, qua DEUS in ultimo somnio fibi de-  
litione revelarat. Concedimus quidem, No-  
casionem desumpsisse, ipsa tamen maledictio  
imprecatio & est, & dici debet. Nam statim  
Chus, & Chami impietas ipse innotuit, dirum  
pronunciavit; adeoque delictum habet se-  
tem maledictionem. Nec incongrue ex Sem  
judicium fieri potest. Sicut enim illa proprie-  
oppositorum, quæ in Chami profertur filium,  
esse maledictio, & imprecatio, non vero tan-  
enunciatio. videlicet, sicut in aliis fabr. numeri  
siora sunt, quæ Juriæus protulit, ex quibus ce-  
possunt. Quid enim illud probet, quando  
difficile, quomodo homo, qui tanta viderat mi-  
si & impius. Judas tanta viderat Christi mira-  
uis Apostolis, DEI viventis filium confessus  
& Benefactorem, & Magistrum, non vereba-  
miracula viderant Israelitæ? & tamen mox va-  
nox rebellionibus, in DEUM, ejusque Mini-  
strat:  
c B.L. an non Juriæus graviter deliquerit, cum  
sic certam & falsam, Chami voluerit extenuare  
eo ipso injuriam piissimo Regi, Melchisedeco,  
git personam, quæ non tantum malæ notæ, sed  
prem unquam redierit mentem, nobis constat?  
Et enus: quæ autem in Hulsum dicenda  
brevi post tempore explicabo.